

ZBIGNIEW DANEK
(UNIwersytet Łódzki)

**UTRUM ISOCRATEA DE BENE CONFORMATO ANIMO
DISCIPLINA AD ALUMNORUM UTILITATES SOLUM
ACCOMMODATA SIT**

SUMMARY: The purpose of this paper is to present the views of Isocrates on human excellence as a result of the educational process. The author examines some passages in Isocrates' speeches, in which the well formed human virtue seems to be changeable and still dependent on the pupils' social position. Apart from the fact that this virtue occurs as a faculty of seizing each opportunity to speak in a relevant way, it also appears to be once a kind of patience in bearing any success as well as any misfortune in the same manner, and, at other times, it presents itself as a type of activity of the mind, which seeks the best solutions to different problems of the State. It is argued that in the view of Isocrates, despite some relevancy in his model of human excellence, which must be adapted to the future social tasks of each of his pupils, human perfection always entails three most important values. Apart from speaking well at the right time and living agreeably with other people, this perfection is based, to a large extent, on some form of seriousness and a gravity of the mind, which remains totally independent of any opportunities of time.

KEYWORDS: Isocrates, ethical ideal, its relativity and consistency

Permultis iam agentibus in educandis iuventutis animis educationis eius finis propositus ipsaque institutio semper a civilium rerum statu aliquam partem dependent. Est enim educantibus gravissimum tales excolere cives, quibus nixa res publica, imminetia sibi omnia perstans tutissime, prosperitate continua uti possit. Itaque bellatores aliquando,

aliquando strenui oratores secundum publicam utilitatem rerumque commutationes institui debent, at altera ex parte tam properante rerum transgressu necesse est imbuatur iuvenile tempus talibus bene agendi principiis, quibus pollens nulla inexpiabili contaminatum culpa a rostris in aciem et contra e castris forensia sua ad munera vicissim redire possit – et aliorum opinione et ipsius conscientia ab omni integer scelere. Stat virtus humana civilisque disciplina immutabili quadam boni et mali existimatione, cuius est inter alia lucrum nonnumquam et utilitatem ipsius sui contemnere.

Utrumque Isocratis temporibus iuventus Atheniensium docebatur, cum prior maiorum disciplina firmum rerum civilium ordinem paternamque virtutem sustinisset, at sophistica incedens ratio docendi pro rebus constanter gerendis iam ad omnem excipiendam apte dicendo utilitatem discipulorum animos praeparavisset. Et rhetor celeberrimus, ancipitem tunc factam iuvenum educationem aliquando qui conspiciebat (Panath. 26), nullius tamen partis se fautorem esse declarabat. Non sufficienti sibi et revera refutatae utrique illi disciplinae ab ipso acceptam bene colendi cultique animi rationem contra ponebat, utriusque in vitia non coincidentem. Ultimum fere Isocrateae de optime conformato animo rationis in quattuor excultae virtutis condicionibus Panathenaico in sermone expositis continetur (Panath. 30 ss.), at multis iam annis ante bene praeparati animi effigiem suam aliquot in scriptis ille protulit. Et non ab omni parte consistens haec eius recte educandi disciplina videtur, cum ad animum omnia aequae patientem excolendum intenta sit, at alibi locorum ad imperia strenue gerenda discentem praeparaverit, cuius iam non sit pati, sed dominari et de subiecta sibi multitudine semper agilis curare. Itaque non una et constans docendi ratio fuisse Isocrati videtur, tum ad conformandam regiam virtutem – sicut Cyprii Nicoclis, seu aliquo post ipsius Macedonii Alexandri adulescentuli – quae collata sit, tum ad illius patientis aliisque se clementem et indulgentem offerentis animum edocendum conversa – quod iam in Panathenaici supra dictis locis conspici potest et multo fit evidentius in Nicoclis Isocratei ficto sermone, ubi de subiecti imperio gregis virtutibus plurima disseritur (Nicochl. 48 ss.). Tam differentia, nisi etiam contraria, docens accusabitur rhetorum praestantissimus, quod temporibus commodisque inserviens omni veritate et constantia neglecta satisfaciendo cuilibet

lectoris indeque fructui percipiendo totum se obtulerit. Orta eiusmodi quaestione et adducta in dubium Isocratis constantia iustum videtur rem diligentius perquirere, omnia scitu digna locorum, ubi Isocratea de bene conformata virtute disciplina exposita sit, examinantem, quo utrique quaestionum responsum aliquod dari possit, ita de unica multiplice rhetoris illius docendi ratione aliqua statuentem, ut etiam firma an condicionibus solum opportunitatibusque diversissimis obsequens fuerit haec disciplina, quoad id perfici possit, diiudicantem.

Summum fere Isocrateae de exulta virtute humana disciplinae in Panathenaico sermone profertur, ubi hoc de mundo exiens iam brevi rhetorum celeberrimus educationi ita veteri ut geometricis astronomicisque nixae recenti suam docendi rationem opponit, non tam revera de ipso disciplinarum studio agens, ut totius muneris effectum, id est exultam iam labore et suo et discipuli virtutem eius, in conspectum proferens. Quattuor stat haec excellentia animi condicionibus. Quarum est prima capacem fructus excipiendi temporum opportunitatibus uti excellentissime, sequens iuste et decenter societate frui humana ita aliorum mores agrestes indulgenter ferentem ut ipsum in eos mitissimum maximeque aequabilem, tertia ipsius animum refrenantem etiam in omnia fortunae adversa imperium tenere stabile et denique – in speciem priori contraria, revera coniunctissima – quarta, ex qua etiam omnes fortunae favores eodem aequo animo ferri debeant superbia omni vacuo nec tam forte datis sibi bonis pollente, ut ipsius prudentia comparatis (Panath. 30-32)¹.

In Panathenaici supra dicto loco duo revera contraria poscuntur, quaedam agilitas mobilitasque animi, omnia qui sequens commoda quaque occasione oblata sagax uti possit, at altera ex parte etiam constantia moderatioque mentis ita laetitiam nimiam reprimentis ut maeroribus occurrentis. Tam alterum alteri adversantia suadens non tamen ipsi Isocrates contradicit, sed a forensi quadam sollertia prodiens ad humanae virtutis celsiora erigitur unaque in interiora animi bene conformati descendit, qui ex eius sententia cotidianis in rebus agens strenuus, intrinsecus tamen quibusdam nixus praesidiis firmus et indeclinabilis remanere debeat, ne omnes auferamur gerendarum voragine rerum.

¹ Cf. Z. Danek, *Quid Isocrates de bene sua gerentis virtute exulta iudicaverit*, „Collectanea Philologica” 2013, XVI, p. 73-78.

Talia proferre aetas sua et tot annorum munera rhetorem illum docuerunt. Aliter quid tamen se habet eius prior de hominis ingenio bene exculto disciplina.

In examinanda Isocratis de bene conformata mente opinione tria saltem respici debent conferenda illius rei testimonia, quibus illustrissime res peracta esse videtur: praeter supra allatas bene culti animi condiciones, prudentiae, regem quae deceat, prior aliquo explanatio Alexandro brevi regnato praeposita et pluribus illas duas antecedentia annis de sapientia humana praecepta regnanti iam Nicocli Cyprio quae ab Isocrate data sunt. Cum tamen tres illae rei dispositiones nominibus eius, de qua agitur, excellentiae humanae inter se paulo differant (tum enim inscribuntur educati iam hominis ipsiusve ad suum effectum tendentis educationis appellationibus, tum sapientis etiam nomine, tum ad humanam prudentiam et id prudentem esse referuntur²), ad eandem revera effectam iam humanam virtutem pertinere omnes videntur. Sicut enim Antidosis Isocratea testificatur, idem est accessibili mortalibus prudentia – cuius est nomen „phronesis” – potiri ac sapiens – „sophos” fieri³, cum altera de parte „phronesis” illa id demum est, ad quod excolendum omnis ab Isocrate instituta iuvenum educatio intenditur⁴. Consideratur itaque tribus in locis, de quibus sermo est, eadem exactae prudentiae humanae imago, qua nihil magis esse idoneum magisque necessarium ad bene facienda domestica et civilia munera non illi solum videtur.

² Illos excultos iam iustam per educationem „educatos” (πεπαιδευμένος – Panath. 30) etiam „sapientes” (σοφούς – Ad Nicocl. 39) Isocrates vocat, cum tertio in casu – ad Alexandrum usque puerum eiusque studia regalia versus – „prudentem esse” adulescentulum (σωφρονεῖς – Ad Alex. 5) iam per ingrediendam hanc studiorum viam appellat.

³ Cf. Antid. 271: σοφὸς μὲν νομίζω τοὺς ταῖς δόξαις ἐπιτυγχάνειν ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ τοῦ βελτίστου δυναμένους, φιλοσόφους δὲ τοὺς ἐν τούτοις διατριβόντας, ἐξ ὧν τάχιστα λήψονται τὴν τοιαύτην φρόνησιν.

⁴ Est Isocrati omne iuventutem educandi munus – omnis qua fungitur „philosophia”; ita enim hanc progredientem disciplinam appellat – sui generis „exercitatio prudentiae” (φρονήσεως ἄσκησις – Antid. 209; cf. Antid. 294); cf. T. Poulakos, ‘Isocrates’ civic education and the question of doxa’, [in:] D. Depew, T. Poulakos (eds.), *Isocrates and civic education*, Austin 2004, p. 60 (the business of philosophy is to develop an insight, phronesis).

Attamen non eadem est virtus eademque prudentia regalis et privati cuiuslibet hominis, cuius est cedere non modo regentis voluntati obnoxium, sed etiam patientem fortunae conversionibus. Et talem denique illum perfecte educatum, in Panathenaico qui describitur, conspicimus, cum unica fere qua polleat fortitudo sit aequo et quoad fieri possit sereno vultu tum adversa tum autem prospera ferre, ipsius sui commoda utilitatesque data sibi prudentia procurantem et partis iis gaudentem. Longe aliter praeparatus esse debeat regale obtenturus imperium Alexander. Eius est enim, praeter eandem communem praeparationem ad tempestive apteque praesentis diei utilitatibus loquendum, et res futuras accurate providere et hac nixum scientia permissio sibi civium gregi munera distribuere prudenter et, multo maius quod videtur, iusti decorique arbitrum inter homines fieri et secundum suam illius rei existimationem tum honorare merentes tum iustam de noxiis exsequi poenam (Ad Alex. 4). Non est concessa regale prendenti gubernaculum illa modo dicta patientis aequabilitas, non datur ei, quae fortuna suave prudentia adferat, iis gaudere utilitatibus; semper agens, semper strenuus tunc demum, cum omnia muneris sui bene procuret, prudentis, id est sufficienter iam educati, nomen revera demerebit.

Tam adversa cum eodem fere tempore Isocrates ad virtutem tendentibus praecipiat, potest haec eius excellens prudentia humana anceps et ambigua videri ipseque ad utilitatem et obsequium tempori et mentem suam et disciplinam flectere. Numne praeter omnia civilium munerum discrimina unicum et constans apud eum pretium gerendarum rerum aliquod requiri potest? Et de eius constantia magis etiam dubitare poterimus, cum Nicocli dicata scripta utrumque inquiremus, ita data iuveni de iuste regendo praecepta ut ipsius de iuste regali imperio obsquendo ad suos directa admonita. Cum autem iam primo in sermone Isocrates opere maximo niti videatur, ut regale illius imperium prudenter in cives procedendo quoad fieri possit corroboretur, altera in oratione talia – Nicoclis per ora – regi submissum gregem admonet, ut omnino dignitatis libertatisque humanae oblitus se quasi famulum regiae dominationi praebeat. Contra totiens apud se civili rerum ordini posthabita unius regimina⁵ exiit tum Salaminae cives omni licentia,

⁵ Cf. Ad fil. Ias. 11: Ἐμοὶ γὰρ αἰρετώτερος ὁ βίος εἶναι δοκεῖ καὶ βελτίων ὁ τῶν ἰδιωτευόντων ἢ τῶν τυραννοῦντων, καὶ τὰς τιμὰς ἡδίους ἡγοῦμαι τὰς ἐν ταῖς πολιτείαις ἢ τὰς ἐν ταῖς μοναρχίαις; cf. De pace 111-113.

cum libere coeundi tum etiam aliqua emptu aliove modo acquisita prae rege abscondendi, unica relicta miseris libertate omnibus iis, quae regiae dominationi immineant, obsistendi. Tam se praestat huic dominationi obsequentem Isocrates, ut etiam aliquando dissimulanter agere, id est sub specie adulantis ministerii subactam sine ullo respectu civilem libertatem irridere videatur⁶, at altera ex parte, cum severis in rebus ridiculose se gerere alienum eius consuetudini bene compertum sit, non sine ratione accusari potest ingenii secundum potentium commoda suamque utilitatem mutabilis.

Ob talia obicientes defensio – quae iuste ex mea quidem sententia rhetori clarissimo debetur – suum habeat exordium in illis Nicoclis Cyprii erga coactum civium gregem admonitis diligentius respiciendis. Quae arroganter in speciem imperantur audientibus eiusmodi revera sunt praedicta, ut quamque admonitionem explanatio ratioque aliqua oblata sequatur quodque eius generis iussum ad irrefutabilem quandam humanam boni et mali existimationem referens. Et iam illud omnem furtim factam emptionem vetitam esse hunc in modum Nicocles explanat vetandamque confirmat, ut clandestina hominum incepta plerumque timoris fontem esse coarguat, cum contra simpliciter et aperte acta omnia in crimen quoddam adducendi periculum semper amoveant (Nicocl. 52). Quae autem coepta clam, seu commenta solum, regali imperio immineant, non tam denuncianda imperatori, ut ab ipsis refutanda coercendaque esse suadet, omnibus clandestinis – sicut prius – nocentibus et utrique parti periculosus factis⁷. Sunt in iis etiam civium coetus secreti, aliis in civitatibus – sicut Nicocles docet – rebus publicis utiles, in unius tamen dominatu rerum statui infesti (Nicocl. 54). Hoc enim de regio sui imperio ille agit contenditque, imperio non tam revera subactis omnique ditione exutis coniciendo, ut coram civibus, rem sua voluntate suoque arbitrio dimetientibus, ponderosis probando argumentis. Stat regni successor prae plebe sua (revera prae electorum

⁶ Cf. D. Konstan, Isocrates' „Republic”, [in:] D. Depew, T. Poulakos (eds.), op. cit., p. 107-124 ([ad: Nicocl. 62] These words, in which it would probably be wrong to detect Isocratean irony – p. 117).

⁷ Nicocl. 53: Μὴ κατασιωπᾶτ' ἄν τις ὁρᾷτε περὶ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐμὴν πονηροῦς ὄντας, ἀλλ' ἐξελέγχετε, καὶ νομίζετε τῆς αὐτῆς ζημίας ἀξίους εἶναι τοὺς συγκρύπτοντας τοῖς ἀμαρτάνουσιν.

quorundam contione⁸) sicut popularis in comitiis orator et oratoriis utens instrumentis, quibus rationibus audientium ingenia ad obtemperandum imperio suo vel cogentissime compellat, eas profert conscius se nisi cogentur poscere quae voluerit non posse⁹.

Cum autem una ex parte regia apud Isocratem dominatio populari civilium rerum regimini simillima facta sit¹⁰, tum etiam publicis de rebus popularis ipse dominatus semper apud eum quendam regali ditione omnia civitatis continentem deposcit. Praesunt semper rebus communibus viri ingenio et virtute excellentissimi, sitve in his civilis ordinis conditoribus Theseus ille fabulosus, sintve optime de Atheniensium civitate posterioribus annis qui demeruerunt Solo Cleisthenesque seu antecedens fere aetate rhetorem nostrum Pericles¹¹. Quorum regalis aliquando dominatus, ut cedat prudenti optimatium de rebus civilibus consilio¹², multo magis probandus Isocrati videtur quam summa rerum statuentis vulgi effrenata libido. Exstat apud eum inter utrumque, regale bene ad id praeparati principis imperium et prudentium consilio nixam rem publicam quoddam commune¹³: bona de omnium commodo

⁸ Cf. Isocrates vol. III, Nicocles, or the Cyprians, tr. J. A. Freese (editio interretialis) – J. A. Freese (Introductio): „It is not addressed to the whole people, but only to the most distinguished citizens, who had been called together by Nicocles for the purpose of hearing it”. Quae excellentissimi interpretis opinio recta esse probatur, cum verba Nicoclis respiciamus, ex quibus non sint eius auditorium gregarii regni incolae, sed imperatoria quadam potestate fortes in suos domini (Nicocl. 62: οἴσουσπερ τοὺς ὑφ’ ὑμῶν ἀρχομένους οἴεσθε δεῖν περὶ ὑμᾶς εἶναι, τοιοῦτους χρῆ καὶ περὶ τὴν ἀρχὴν τὴν ἐμὴν ὑμᾶς γίγνεσθαι).

⁹ Cf. Nicocl. 10-11.

¹⁰ Statuit Ch. Tuszyńska-Maciejewska, diligens rei indagatrix, ipso suo animo habituque propiorem esse illum Isocrateum regna obtinentem virum popularis imperii moribus quam unius dominatui; cf. K. Tuszyńska-Maciejewska, *Izokrates jako twórca parenezy w prozie greckiej*, Poznań 2004, p. 164.

¹¹ Cf. Panath. 126 ss.; Antid. 231-235; Antid. 137.

¹² Perstanter enim improbamus prolatam a K. Rekucka-Bugajska (‘Izokratejskie wychowanie władcy’, „Meander” 1980, 35/3, p. 83-95) opinionem de superante apud Isocratem unius dominatu ceterum omnem civilium rerum ordinem (cf. annot. 5), servatis revera ab illo principe temperantia et prudentia regali.

¹³ Cf. D. Konstan, op. cit., p. 121 (he believed that a well-run democracy, in which a natural aristocracy controlled political offices, was not fundamentally different in character from a good monarchy or oligarchy). Potest etiam existimari Isocrates (quod recte, mea quidem sententia, Ch. Tuszyńska-Maciejewska animadvertit) virtutem qui civilem toti humanae genti propriam communem („wartości niejako uniwersalne”)

providentia iustaque damni et meriti existimatio, unde etiam id alterum, iuste munera distribuere civibus iusteque cum pia honorare factum etiam delicta reprehendere deducatur. Publicarum rerum quolibet in ordine semper electi quidam studio scientiaque idonea docti nec non prudenter ipsos moderantes iis de rebus curare debent et talibus – ipsa natura sua ad gerenda munera publica aptissimis – excolendis principibus, praestantibus civili rerum ordini atque etiam humaniori omni cultui¹⁴, disciplinam suam Isocrates obtulit.

Dicitur ceterum rhetor laudabilis irrepugnabilem inter unius dominatum et civilem in rebus publicis dicionem differentiam quoad potuerit lenire unam ob causam, quae ut gravis non tamen unica fuisse videtur. Est haec consilium eius multorumque annorum conamina de cogendis in unum diversissimis rerum statu Graeciae civitatibus, quo toti genti imminens de oriente periculum interimi denique possit. Quod inceptum, si ad bonum eventum duci posset, consensum approbationemque omnium gubernacula rerum prenentium reposcebat; numquam enim unam prodire in aciem ordines ducesque a rerum statum evertente agitatore cogentur. Interfuit itaque Isocratis tam suam salubri consilio firmare civitatem, ut etiam reges permulcere unaque dissensionis labisque internae a periculo regna eorum servare, ceterum qui suo apte ingenio numquam in rerum quarundam conversiones primum se praebebat. Ipse placabilis et aliorum cupiditatibus indulgens multorum hac clementia sua animos alliciebat et disciplina qua iuventutem conformabat benigna eundem in modum discipulis tam factus est popularis, ut potentissimorum progenies – etiam regia – educanda ei traderetur.

Numne aliter ac ceteri omnes regalis haec proles apud eum educabatur, ut sibi tantum data licentia suaeque boni et mali institutione uti posset? Non talis est Isocratis animus, cum alteram quid statuit designandam disciplinam virtutemque Alexandro iuveni atque ceteris, collectim qui „educati” – পেপাইদুমশনৌ ab eo appellantur. Non enim

propagaverit, exsurrexisse ad respiciendam rem illam talem, supra omnia tunc civilis ordinis discrimina quae elata esset („poziom ponadustrojowy”, K. Tuszyńska-Maciejewska, op. cit., p. 151-152).

¹⁴ Cf. E. Mikkola, Isokrates. Seine Anschauungen im Lichte seiner Schriften, Helsinki 1954, p. 252: „Am allerwichtigsten ist die Erziehung derjenigen, die eine Führerstellung unter der Menschen einnehmen sollen, einerlei ob es sich dabei um Herrschaft oder um Lenkung des geistigen Lebens handelt”.

petendi quaecumque velit licentia regni successori ab eo praebetur, sed non evitabilia publicae navis gubernatori onera communi bono consulendi, futura caute observandi, munera civilia iuste distribuendi et illud fere difficillimum recta pravaque statuendi, ceterum qui ad eandem omnibus communem humanam virtutem praeparandus Isocratea disciplina videtur.

Tria illius virtutis gravissima enumerare debemus, de quibus vocabulis solum differens quodque in utraque Isocratea bene culti animi constitutione – tam regalem ut etiam ceteram omnem virtutem dimetante – requiri potest. Sunt eius excellentiae humanae partes: bene et tempestive in rebus agere sermone utentem idoneo, hominibus convivam se mitem et benevolum praestare et – summum quod videtur – pectore iam ab ambitione omni soluto rerum discrimina omnia pervincere posse, continua quadam fixum quiete animi, pacati cum ipsius studio tum etiam fide cultuque deorum. Possunt omnia de tribus illis tum recognosci, cum de pulcherrime sua gerendo munera Isocrates agit, possunt etiam in doctorum opinionibus reperiri. Pulcherrime in vita sua facere munera – seu etiam vivere pulcherrime – est secundum Isocratem cum erga deos pietatem, in homines autem iustitiam, tum in suis operibus prudentiam servare continuo¹⁵. Et triplex haec excellentia humana tum etiam revera restruitur, cum ab Isocratei operis commentatore ad id cum bene loqui, tum mitem hominibus, intus autem divina quadam dignitate severum esse bonus mentis habitus bonaque vivendi ratio refertur¹⁶. Illud enim decenter loqui arte iunctum est – sicut ipse ea

¹⁵ Cf. Panath. 204: Οὐδείς γὰρ ὅστις οὐ τῶν μὲν ἐπιτηδεμάτων προκρίνει τὴν εὐσέβειαν τὴν περὶ τοὺς θεοὺς καὶ τὴν δικαιοσύνην τὴν περὶ τοὺς ἀνθρώπους καὶ τὴν φρόνησιν τὴν περὶ τὰς ἄλλας πράξεις; cf. Panath. 217. Ceterum Isocratea illa „epitēdeumata” ancipitem in modum legi possunt, ad negotia solum quibus fungimur seu ad totam vivendi rationem etiam referenda (hunc in modum reddit vocem Georgius Norlin [ways of life – Isocrates with an English translation, vol. II, London 1929, p. 499] et id utroque in loco). Ex mea sententia in dictis Panathenaici sermonis locis illusio quaedam continetur, uno de collocutoribus allata illa appellatione negotia solum Lacedaemoniorum (qui pulcherrime in vita agendi tria dicta fundamenta statuisset ab eo feruntur) laudabilia denotante, altero autem hanc vocem ad totum id vivere iuste reportante.

¹⁶ Cf. T. Veteikis, *Isocrates on eu phronountes*, „Colloquium Balticum Lundense” 2012, XI, p. 3-4 (editio interetialis). Quartum enim illud optimaie animi constitutionis quod ab eo auctore superioribus (appellatur haec ab ipso: „Wise eloquence [the ability to use the power of logos]”, „Friendliness, openness, mildness [praotēs]” et in

distinguens addit – cum sagaciter temporibus utendo et opportunitatem quamque acute percipiendo¹⁷, quod primum in Panathenaici sermonis trium virtutis graduum distinctione discernebatur.

Tria illa Isocratea bene cultae mentis fundamina etiam in regenti datis praeceptis requiri possunt, in dicto iam ad Nicoclem sermone quae continentur. Quod illic circa triginta annis ante imperatori praecipitur, indubitabilem in modum simillimum videtur posteriori disciplinae de tribus virtutibus consistente hominis excellentia, cum sapientiae humanae primum habeatur gravibus de rebus loqui bene, sequens bono in consensu cum hominibus rebusque vivere posse, tertium autem moderate et decenter ita omne infortunium ut etiam secundam rerum conversionem ferre¹⁸. Et similiter atque commemoratis Panathenaici in locis haec bene vivendi praecepta opposita proferuntur quibusdam contraria praestantibus, id est subtiliter levia disceptantibus et praeter omnem suam de vita beata disciplinam ipsis in angusta incidentibus exturbatisque qualibet commutatione rerum. Et similiter atque in admonendo multo post Alexandro iuvene, est Isocrati triplex illa exulta iam facultas bene humana munera faciendi scientia quaedam, doceri et disci quae potest¹⁹, non tamen haec ad inutilia homini quorundam

supra adhibito ordine tertium „Seriousness [semnotēs]” adnumeratur quodque appellatur „eudoxia”, id est nomen apud ceteros laudabile, alterum iam rei genus est non tam ad suam virtutem sicut ad exteriora quaedam, aliorum videlicet opiniones iniquas aliquando et mutabiles, pertinens. Tribus itaque supra dictis constat etiam apud illum auctorem virtus Isocratea.

¹⁷ Ibidem, p. 4: “It is the intelligent man (anēr eu phronōn) who manages to use his knowledge, perception and vocabulary appropriately and in a timely manner (Paneg. 9). To such a person the insightful sense of appropriate rhetorical situation (eukairia) is more important than abundance of words and other means of expression (euporia) (Panath. 33-34)”.

¹⁸ Ad Nicocl. 39: Σοφούς νόμιζε μὴ τοὺς ἀκριβῶς περὶ μικρῶν ἐρίζοντας, ἀλλὰ τοὺς εὖ περὶ τῶν μεγίστων λέγοντας· μηδὲ τοὺς τοῖς μὲν ἄλλοις εὐδαιμονίαν ὑπισχνουμένους, αὐτοὺς δ’ ἐν πολλαῖς ἀπορίαις ὄντας, ἀλλὰ τοὺς μέτρια μὲν περὶ αὐτῶν λέγοντας, ὁμιλεῖν δὲ καὶ τοῖς πράγμασιν καὶ τοῖς ἀνθρώποις δυναμένους, καὶ μὴ διαταραττομένους ἐν ταῖς τοῦ βίου μεταβολαῖς, ἀλλὰ καλῶς καὶ μετρίως καὶ τὰς συμφορὰς καὶ τὰς εὐτυχίας φέρειν ἐπισταμένους.

¹⁹ Adhibetur enim ab eo utroque in loco idem scientiam denotans verbum (ἐπισταμένους – Ad Nicocl. 39; πιστήσει – Ad Alex. 4), quod ad discendo ortam quandam humanam facultatem vel eiusmodi rerum notitiam plerumque refertur.

studia pertinens²⁰, sed scientia ad bene sua gerendum et domesticis et civilibus in rebus lucrose proficiens. Tribus stat principiis apud Isocratem humana virtus, partim quae ad externam rerum condicionem et quibuscum sociali in conexu vivimus necessitates flexibilis excolitur, partim autem pia quadam gravitate firma et immutata cum maneat, et turbulentissima gerenti contionatori ipsius bene compositae mentis praesidio quietum servare pectus omni in casu quae prodest. Et quietis eius internae adminiculum firmissimum est innocenter et fideliter publicae rei munera sua curamque offerre, sicut ipse ea docens regum et principum educator omnem per vitam suam et faciendum proclamabat et factum operibus praestabat suis.

BIBLIOGRAPHIA

- Danek Z., 2013, „Quid Isocrates de bene sua gerentis virtute exulta iudicaverit”, *Collectanea Philologica* 16, 73-78.
- Freese J. H., 1894, *The orations of Isocrates*, vol. I, London. Editio interretialis: Isocrates, *Nicoles, or the Cyprians*, trans. J. A. Freese. Accessus per: <http://www.classicpersuasion.org/pw/isocrates/pwisoc3.htm> (2014-03-21).
- Konstan D., 2004, „Isocrates’ ‘Republic’”, [in:] T. Poulakos, D. Depew, (eds.), *Isocrates and civic education*. Austin, p. 107-124.
- Mikkola E., 1954, *Isokrates. Seine Anschauungen im Lichte seiner Schriften*, Helsinki (Annales Academiae Scientiarum Fennicae, vol. LXXXIX)..
- Norlin G., 1929, *Isocrates with an English translation* by George Norlin, vol. II, London–New York.
- Poulakos, T., 2004, „Isocrates’ Civic Education and the Question of Doxa”, [in:] T. Poulakos, D. Depew, (eds.), *Isocrates and civic education*, Austin, p. 44-68.
- Rekucka-Bugajska K., 1980, „Izokratejskie wychowanie władcy”, *Meander* 35/3, p. 83-95.
- Tuszyńska-Maciejewska K., 2004, *Izokrates jako twórca parenezy w prozie greckiej*, Poznań.

²⁰ Dicit in Antidosi Isocrates hanc nil ad vitae munera proferentem disciplinam, similem „miracula efficientibus” praestigiis (θαυμαστοποιίας – Antid. 269), factam esse quasdam notitias seu narrationes „portentorum” (τερατολογίας – Antid. 269, cf. Antid. 285).

Veteikis T., 2012, „Isocrates on *eu phronountes*”, *Colloquium Balticum Lundense*, XI, p. 1-5. Accessus per: http://konferens.ht.lu.se/uploads/media/Handout_Tomas_Veteikis.pdf (2014-03-21).